



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem  
Varia Ervditione Noviter evoluta**

**Pexenfelder, Michael**

**Monachii, 1675**

1. Python symbolum pigritiæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](#)

tuit illa quidem sed illuvie squalida, uda paludibus, limo obsecena. Solum humidum ferventissimis *Solis* intepescens radijs, & quasi fermentatum, varia produxit animalia, partim antiquæ atque usitatæ speciei, partim planè nova & incognita; atque inter alia *Pythonem*, immensæ magnitudinis draconem, veneno noxiū, & novis terræ incolis specie horrida formidabilem. Hunc serpentem, è lito vel coeno genitum, cùm is fugaret omnes, Apollo haud procul Parnassi montis radice, plurimis sagittis confixum interemit; qui mortuus contabuit, & in foedam putredinem disfluxit, unde nomen traxit, nam πύθειας putrefactio significat. In grati animi monumentum: reique gestæ memoriam Ludi sunt ab incolis Apollini instituti, qui *Pythij à Pythonē cognominati*; in ijs victores esculea sunt corona donati.

### Ethica.

Draconem hunc immanem nihil aliud esse putem, quam *Ignaviam*, quæ inertī computræscit otio, ingentemque passim stragem, maximè in litteraria juventute edit: nec facilè vincenda, nisi Apollo Musarum Deus suam evacuet pharetram, & densis in bestiam jaculis pugnet. Magistrorum intelligo solertiam ac industriam, qui hortando, increpando, castigando non desistant, donec *Socordiam* ex animis adolescentium expellant atque interimant. Maffeus noster in hist. Indica, lib. 16. hoc monstrum repræsentat per animal, quod Lusitani à reipsa *Pigritiam* appellant. Est illud vulpeculae magnitudine, rostro foedo ad aspectum, unguibus ad digitorum similitudinem prominentibus: cervicem velat coma ex occipitio defluens, lento ventris adipe verrit humum, neque in pedes exurgit unquam; tam lentè denique movetur, ut quindecim ipsis diebus ad lapidis jactum continuo tractu vix prodeat; vicitat arborum folijs, & in earum cacuminibus degit plerumque: quarum in ascensi biuum circiter, tantundem in descensi ponit. Neque verò ad hortationibus aut minis, sed ne plagis quidem, fustibüsve, vel tantillum de insita ignavia ac tarditate illud dimoveas. En typum pigritiæ genuinum.

I. (a) Quid enim fœditas rostri denotat, quam os protervum & impudens, benèque monentibus obimurmurans? quid unguies excrescentes, & infusa cervici coma, quam illuvies corporis, & impexi, illo-tique capitis horror? quid ventris adeps humum verrens, quam voracitas hominum, otio & abdomini natorum? quid tarditas motus, & in-

K

curui

(a) *Python Symbolum pigritia.*

curui pondus corporis , quām desidia ad nullum laborem erigenda? quid foliorum depastio , quām vita sine fructu exacta ? quid denique verbera incassum adhibita , quām obstinata ignavorum vecordia , nullis vel prōmiorum vel pœnarum stimulis excitanda ? Sapientissimus regum pluribus locis hominem pigrum acriter exagitat , dum Proverb. 9. comparat mancipio pannis obsito , lacero , squalido , manibus compressis dormitanti , quem *Egestas* tanquam miles armatus obsidet . Et Proverb. 26. proponit eum accumbentem mensæ , manum sub axilla prementem , nec ad os applicantem , quod gravem laborem in eo motu positum esse putet . Item ad labores omnes restitantem & pavitantem , ac dicentem . *Leo est in via , & leona in itineribus.* Præterea comparat agro tribulis & urticis obsito ; nec non ostio in cardine suo stridenti , séque vertenti , quod piger facit affixus lecto ; in quo licet volvatur & revolvatur , nihil tamen agit & promovet , stridorēmque ac murmur edit , si ad opus faciendum excitetur . Hac de causa hieroglyphici pingunt acediam , quasi anum deformem , malè vestitam , sedentem , capite innixam in manum sinistram , quæ cubito incumbit , genibus , ac dextra tenet funem , sinistra torpedinem seu echeneidem , cum lemmate : *torpet iners.* *Anum* , quia senes sunt segnes ; *malè vestitam* , quia *pigritia est nutrita egestatis* , ut ait seneca lib. de benef. *Sedentem* , quia facit desides : *capite devexo* & declivi , quia *per torporem vires & ingenium defluunt* , inquit Isidor. lib. 2. soliloq. *Tenet funem* , quia *ligat homines* , facitque inhabiles ad operandum . Gestat *torpedinem* pisciculum , quia hic remoratur naves , sicutque in medio cursu , unde & *Remora* dicitur .

Sed ad Pythonem , cui nomen , ut diximus , à putredine ; hunc Deus arcitenens

Mille gravem telis exhausta pœnè pharetra  
Perdidit , effuso per vulnera nigra veneno .

Tantæ molis erat hoc monstrum interficere ; quo non minùs horrida est *Pigritia* , quæ juxta Mantuanum

Sola sedens , oculosque solo defixa , malignum  
Crispa supercilium , pallens , impexa capillos ,  
Phthiriasin patiens , scalpit caput unguibus uncis :  
Os immunda , manus illota , cadente saliva  
Barba madet , pluit imbriferis de naribus humor ,  
Debilis , & longo pendens in pectora dorso ,  
*Fauce tumet , levat angusto sub pectore ventrem*

Utris

Utris ad exemplum, morbique intercutis instar :  
Nil nisi terrenis haustum de fæcibus unquam  
Cogitat, annales veterum, dubiamque futuri  
Temporis ignorat sortem: non ulla latentes  
Cernere naturas, rerum causasque tueri  
Cura subit; subjecta oculis vix aspicit, ægre  
Palpebras levat harentes: humore tenaci  
Lumen habet: surdant aures, vox languida, sermo  
Barbarus, obscuro verba interclusa palato &c.

II. (b) Ubi vero stabulatur portentum istud? ubi nascitur & alitur? In putredine, in palustri uligine cum Pythone. Transferas hoc illud Jobi de Behemothe seu diabolo loquentis: *Sub umbra dormit in secreto calami, & in locis humentibus.* cap. 40. Per calatum intelligit arundinetum, quod latet abdita haec bellua, quam *Pigritiam* interpretari licet; pigris enim, ignavis, & inertibus meritò pro symbolo applicatur arundo, quæ quolibet vento hoc illuc agitatur; & quamvis supernè sit cristata, medullà tamen intus ac fructu caret. Sic desides & socordes aliquando forma corporis, aut generis nobilitate, aut fortunæ adventitijs bonis, veluti cristis superbiunt; quia tamen arundinum instar inconstantes ad nullam veram laudem aspirant, sunt omnium honestarum artium vacui, & in paludibus velut excrementum citò nascuntur, citò defluunt & pereunt. Et bene addit Jobus: *sub umbra dormit;* hoc enim pigrorum est negotium, dormire; *in secreto,* nempe inter plumas seu calamos.

III. (c) Quid igitur facias, ut hunc Pythonem, Ignaviam aio, conficias? Opus est jaculis Apollinis, hoc est, varijs industrij Præceptoris hortatibus, reprehensionibus, minis, etiam verberibus (nam mitioribus remedijis in obdurata, & desidia veterno oppressa capita plerumque minus proficitur) donec *stultitia, quæ colligata est in corde pueri, virgine disciplina fugetur*, quod monet Sapiens Prov. 22. Quod facit illud Psalmi 67. *increpa feras arundinis,* hoc est, bestias ignavas, ventres pigros, inter arundineta plumarum jacentes, excita, succute, exprobra, exagita, stimula, donec se moveant, & frugi fiant. Quod factò, restant *Ludi,* seu Honores, Pythij, Præceptoribus ac Magistris decernendi. In qua re Antoninus Imp. nobile paradigma grati erga Institutores animi proposuit, dum Magistrorum suorum imagines aureas domi habere, & eorum sepulchra floribus conspergere solebat.

K 2

IV. Py-

(b) *Ignavia stratum.* (c) *Labor præceptoris & honos.*